

---

PH A E D R I  
AVG. LIBERTI  
F A B V L A R V M  
AESOPIARVM  
LIBER PRIMVS.

---

PROLOGVS.

AESOPVS auctor quam materiam reperit,  
Hanc ego poliui versibus senariis.  
Duplex libelli dos est; quod risum mouet,  
Et quod prudenti vitam consilio monet.  
Calumniari si quis autem voluerit, *f*  
Quod arbores loquantur, non tantum ferae:  
Fictis iocari nos meminerit fabulis.

*3. Libelli dos est.]* Ita Remensis codex optime;  
at Pithoeanus, *libelli mos est*, vnde ab aliis *fabellis*  
*es vel mos* factum, non probantibus hodie doctis,

FAB. I.  
LVPVS ET AGNVS.

Ad riuum eundem lupus et agnus venerant;  
Siti compulsi: superior stabat lupus,

A

Lups

- Longeque inferior agnus: tunc fauce improba  
 Latro incitatus, iurgii causam intulit.  
 5 Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi  
 Istam bibenti? laniger contra timens:  
 Qui possum quaeso, facere, quod quereris, lupe?  
 A te decurrit ad meos haustus liquor.  
 Repulsus ille veritatis viribus,  
 10 Ante hos sex menses male, ait, dixisti mihi.  
 Respondit agnus: equidem natus non eram.  
 Pater, hercule, tuus, inquit, maledixit mihi.  
 Atque ira correptum lacerat, iniustâ nece.  
 Haec propter illos scripta est homines fabula,  
 15 Qui fictis causis innocentes opprimunt.

3. *Fauce.*] Rem. eod. lectio? Pith. *face*, quod corruptum.

5. *Turbulentam fecisti mihi.*] Antea legebatur: *Cur, inquit, turbulentam mihi fecisti aquam istam bibenti?* Mutarunt alii: *Cur, inquit, turbulentam fecisti mihi Aquam bibenti?* Sed aquam subintelligere maualt Burmannus. Bentleius, seruata prima lectione, *istam* mutat in *obstans*.

10. *Male, ait, dixisti.*] Hanc tmesin Gudius excogitauit, cum legeretur antea: *Ante hos sex menses, ait, maledixisti mihi.* Recte id fecisse plerisque videtur, quia *ait*, ut in vulgata lectione, non potest esse monosyllabon.

11. *Iniusta nece.*] Haec a praecedentibus distinguit Schefferus, probante Burmanno. *Lacerat* agnum, quae mors *iniusta* erat. *Lacerare nece* Latium esse negant; sed et noster lib. II. fab. VI. 17. *occidit tristi nece.* Et Ouid epist. XIII. 12.

*Vt, qua non cecidit vir nece, nupta cadat.*  
 Quae loca Burmannus suggestit.

## LIBER PRIMVS.

3

FAB. II.

## RANA E REGEM PETENTES.

Athenae quum florent aquis legibus,  
 Procax libertas ciuitatem miscuit,  
 Frenumque soluit pristinum licentia.  
 Hinc conspiratis factionum partibus,  
 Arcem tyrannus occupat P listratus, 5  
 Cum tristem seruitutem flerent Attici,  
 Non quia crudelis ille; sed quoniam graue  
 Omne infuētis onus, et coepissent queri;  
 Aelopus talem tum fabellam retulit.  
 Ranae, vagantes liberis paludibus, 10  
 Clamore magno regem petiere a Ioue,  
 Qui dissolutos mores vi compesceret.  
 Pater deorum risit, atque illis dedit  
 Paruum tigillum, missum quod subito vadi  
 Motu sonoque terruit pauidum genus. 15  
 Hoc mersum limo cum iaceret diutius,  
 Forte vna tacite profert e stagno caput,  
 Et, explorato rege, cunctas euocat.  
 Illae, timore posito, certatim adnātant,  
 Lignumque supra turba petulans insilit. 20  
 Quod cum inquinassent omni contumeliā,  
 Alium rogantes regem misere ad Iouem,  
 Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.  
 Tum misit illis hydram, qui dente aspero  
 Corripere coepit singulas; frustra necem 25  
 Fugitant inertes; vocem praeccludit metus.  
 Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Iouem,  
 Adficiētis vt succurrat. Tunc contra Deus;  
 Quia nolūstis vestrum ferre, inquit, bonum;

A 2

Malum

30 Malum perferte. Vos quoque, o ciues, ait,  
Hoc sustinete, maius ne veniat malum.

3. *Licentia.*] Sexto casu accipit Schefferus: non probat Burmannus, cui *libertas* et *licentia* coniungenda videntur. Interpretatur, *homines libertate procaciter abufos, et licentia praecipites actos.*

4. *Hinc.*] Margo cod. Pith. *hic*, quod placet Heinſio et Bentleio.

8. *Omne Inſuetis onus.*] Vulgo *omnino*, quod vel ad *grauē*, vel ad *inſuetis* trahit Gronou. Emendauit Heinſius *omne*, quod et Burm. tuetur, quia *onus* non *omnino graue* erat, ſed potius leue. Vox *inſuetis* autem quatuor eſt ſyllabarum, vt fab. XI. 5.

14. *Vadi motu.*] Vulgo, *miſſum quod ſubito vadis*, quod praefert Bentl. Sed hanc codicis Rem. ſcripturam res ipſa vindicat. Non enim *tigilli motus* ſignificatur, quod immotum iacuit, ſed *vadi*.

16. *Hoc merſum.*] Non *tigillum*, ſed *pauidum genus ranarum*. Nam ſi lignum merſum fuiſſet, non explorari potuiſſet a rana, caput e ſtagno proferente. Hinc Bentl. coniecit: *Immerſae limo cum laterent diutius*. Forte: *Hoc merſum limo cum lateret diutius*. Antepenultima in *diutius* corripitur, vt in *diuturnus*. Vid. lib. III. fab. XXV. 14.

24. *Hydrum.*] Caligulam ſignificari putant, quem, *nutricem populo Romano educari*, Tiberius dixit apud Sueton. Calig. cap. II. Sed, cum iam fenex ſub Tiberio poſteriores fabellarum libros ediderit Phaedrſus, non potuit Caligulae imperium hoc libro notare. Quare, Tiberium polices intelligi, credo, quam Auguſtus anteceſſit, qui, vt Athenis Piſiſtratus, primus *arcem Romae occupaffe*, dici poteſt.

FAB. III.

## GRACVLVS SVPERBVS ET PAVO.

Ne gloriari libeat alienis bonis,  
Suoque potius habitu vitam degere,  
Aesopus nobis hoc exemplum prodidit.

Tumens inani graculus superbiâ  
Pennas, paoni quae deciderant, sustulit, 5  
Seque exornauit: deinde, contemnens suos,  
Formoso se paonum immiscuit gregi.  
Illi impudenti pennas eripiunt aui,  
Fugantque rostris. Male mulcatus graculus  
Redire maerens coepit ad proprium genus: 10  
A quo repulsus tristem sustinuit notam.  
Tum quidam ex illis, quos prius despexerat:  
Contentus nostris si fuisses sedibus,  
Et, quod natura dederat, voluisses pati,  
Nec illam expertus esses contumeliam, 15  
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

2. *Suoque potius.*] Rarius post *ne* inuenias et vel  
*que*. Ita tamen et Cornel. Nepos Eum. c. VII. 2.  
*Suasit, ne se moueret, et expectaret.* (Dicendum  
erat *sed*.) Ibid. n. 3. *Ne pateretur, - - ferretque*  
*open.* Quare non opus est Bentleiana emendatio-  
*ne, suo quàm potius.*

7. *Formoso.*] Scripti libri: *Immiscuit se formoso*  
*paonum gregi*, vnde Gudius hanc fecit, quam da-  
mus. Heinl. *Se immiscuit paonum f. g.* Bentl. *Im-*  
*miscet se formoso p. g.* Burmannus mallet: *Se mi-*  
*scuit paonum f. g.*

9. *Mulcatus.*] *Pulsatus et male habitus Gronouio,*  
quem videas ad Liu. XXVIII. 30. Probat Burm.  
et Graeu. ad Sueton. Caes. c. 17. Alii *multatus.*

FAB. IV.

CANIS PER FLUVIUM CARNEM  
FERENS.

Amittit merito proprium, qui alienum adpetit.

Canis per flumen, carnem dum ferret, natans,  
Lympharum in speculo vidit simulacrum suum:  
Aliamque praedam ab alio ferri putans,  
Eripere voluit: verum decepta auditas  
Et, quem tenebat ore, demisit cibum,  
Nec, quem petebat, adeo potuit attingere.

2. *Dum.*] Scheff. coniicit *cum*, quod placet  
Burm.

3. *Aliamque praedam.*] Versui laboranti coniectura alius alia subuenit. Hinc factum, *ferrī deputans*, *perferri putans*, *ab alio cane ferrī p.* quod Bentleii est. Heinsius, *ab alio se*, vel *alio ac se*; Burmannus, *ab altero ferrī*, suspicatur: vulgatam tamen praefert, et cum pluribus M. in *praedam* non elidi putat.

7. *Adeo.*] Multo minus. Huic autem versui metri ratio non constat, nisi vel *adeo*, vel *potuit*, dissyllabum sit. Vnde Vrsinus, transpositis vocibus, legit, *potuit adeo*, quem Bentl. sequitur.

FAB. V.

VACCA ET CAPELLA OVIS ET  
LEO.

Numquam est fidelis cum potente societas:  
Testatur haec fabella propositum meum.

Vacca, et capella, et patiens ovis iniuriae  
Socii fuere cum leone in saltibus,

Hi

Hi quum cepissent ceruum vasti corporis,  
 Sic est locutus, partibus factis, leo;  
 Ego primam tollo, nominor quia leo;  
 Secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi;  
 Tum, quia plus valeo, me sequetur tertia,  
 Malo adficietur, si quis quartam tetigerit;  
 Sic totam praedam sola improbitas abstulit.

7. *Nominor quia leo.*] In hac, quae vulgatiores est, lectione ultima vocis *quia* producenda est: quo merito offensi editores, pro suo quisque ingenio, coniecturis indulgent. Gud. *nominor quia Creon*, vel *quia rex leo*: Bentl. *nominor quia leo*: Burm. *Ego, primam tollo partem, dominor quia leo*. Richter. et anonymus Anglus, *quoniam nominor leo*, quod prae ceteris arridet.

## FAB. VI.

## RANAE AD SOLEM.

Vicini furis celebres vidit nuptias  
 Aelopus, et continuo narrare incipit:  
 Vxorem quondam Solem velle ducere,  
 Clamorem ranae sustulere ad sidera,  
 Conuicio permotus quaerit Iupiter  
 Causam querelae; quaedam tum stagni incola,  
 Nunc, inquit, omnes vnus exurit lacus,  
 Cogitque miseras aridâ sede emori.  
 Quidnam futurum est, si creantur liberos?

3. *Solem velle ducere.*] Haec veteris codicis scriptura est, ita interpretanda: *ranae clamorem sustulerunt. i. e. clamarunt, Solem velle ducere uxorem.*

Plures alteri codici obsequuntur, in quo est:  
*Vxorem quondam Sol cum vellet ducere.*

## FAB. VII.

## VULPIS AD PERSONAM TRAGICAM.

Personam tragicam forte vulpis viderat:  
 O quanta species, inquit, cerebrum non habet!  
 Hoc illis dictum est, quibus honorem et gloriam  
 Fortuna tribuit, sensum communem abstulit.

## FAB. VIII.

## LVPVS ET GRVIS.

Qui pretium meriti ab improbis desiderat,  
 Bis peccat: primum quoniam indignos adiuuat;  
 Impune abire deinde quia iam non potest.  
 Os deuoratum fauce cum haereret lupi,  
 § Magno dolore victus, coepit singulos  
 Inlicere pretio, vt illud extraheret malum,  
 Tandem persuasa est iureiurando gruis,  
 Gulaeque credens colli longitudinem,  
 Periculosam fecit medicinam lupo.  
 ¶ Pro quo cum pactum flagitaret praemium:  
 Ingrata es, inquit, ore quae nostro caput  
 Incolume abstuleris, et mercedem postulas.

8. *Gulaeque* ] *Gulae quae*, T. Faber in posteriori.  
 10. *Pro quo cum pactum.* ] Lectum antea est: *Pro  
 quo cum facto*: emendauit Gudius, *pro quo cum pa-  
 ctum flagitaret praemium*. Anonymus Nilantii, qui  
 Phaëdrum exscripsisse creditur: *A quo cum pactum  
 flagitaret praemium*. Illud a quo Bentleius etiam re-  
 cepit,



cepit, quod *pro quo* praecedenti non fatis respondet. Bentleio et ipse adsentior, etsi Burmannum et anonymum Anglum hac generis discrepantia nihil offendi video.

12. *Postulas.*] Bentl. *Postules*, vt orationis textus postulat. Non enim dicit, *ingrata es et postulas*, vt Burmannus vult: sed, *ingrata es, quae* (i. e. cum) *caput incohune abstuleris, et postules*. Causam reddit, cur ingratam dicat.

## FAB. VIII.

## PASSER ET LEPVS.

Sibi non cauere, et aliis consilium dare,  
Stultum esse, paucis ostendamus versibus.

Oppressum ab aquilá, fletus edentem graues,  
Leporem obiurgabat passer. Vbi pernicitas  
Nota, inquit, illa est? quid ita cessarunt pedes?  
Dum loquitur, ipsum accipiter nec opinum rapit,  
Questuque vano clamitantem interficit.  
Lepus semianimus mortis in solatio:  
Qui modo securus nostra inridebas mala,  
Simili querelá fata deploras tua.

IO

## FAB. X.

## LVPVS ET VVLPIS IVDICE SIMIO.

Quicumque turbi fraude semel innotuit,  
Etiam si verum dicit, amittit fidem.  
Hoc adtestatur breuis Aesopi fabula.  
Lupus arguebat vulpem furti crimine:  
Negabat illa, se esse culpae proximam.

5

A §

Tunc

Tunc iudex inter illos sedit simius:  
 Vterque causam cum perorassent suam,  
 Dixisse fertur simius sententiam:  
 Tu non videris perdidisse, quod petis;  
 10 Te credo surripuisse, quod pulchre negas.

## FAB. XI.

## ASINVS ET LEO VENANTES.

Virtutis expers, verbis iactans gloriam,  
 Ignotos fallit; notis est derisui.

Venari, asello comite, quum vellet leo,  
 Contexit illum frutice, et admonuit simul,  
 5 Ut infueta voce terreret feras,  
 Fugientes ipse exciperet. Hic auritulus  
 Clamorem subito totis tollit viribus,  
 Nouoque turbat bestias miraculo.

Quae dum pauentes exitus notos petunt,  
 10 Leonis adfiguntur horrendo impetu.  
 Qui, postquam caede fessus est, asinum euocat,  
 Iubetque vocem premere: Tunc ille insolens:  
 Qualis videtur opera tibi vocis meae?  
 Insignis, inquit, sic, vt, nisi nossẽm tuum  
 15 Animum genusque, simili fugissẽm metu.

4. *Contexit frutice.] In fruticeto illum latere, iussit, Burmann.*

6. *Fugientes ipse exciperet.] Causa huius loci corrupendi fuere particulae, simul vt, quae non diuellendae sed hoc modo copulendae erant:*

Contexit illum frutice et admonuit, simul. Vt infueta voce terreret feras, hoc est, admonuit asinum,

afinum, simul ac inſueta voce terreret feras, fugientes ſeſe excipere, vel excepturum eſſe. Itaque v. legendus videtur v. 6.

*Fugientes ipſum excipere ſe: vel ipſum excepturum.* Non ipſe, ſed ipſum ſcriptum fuiſſe, illud etiam indicio eſt, quod Neueletus et alii *ipſe vt*, legunt. *Simul vt*, pro ſimul ac, Ciceroni uſitatum eſſe, docet Hor. Furfell. cui addo Val. Flacc. l. v. 549.

*Ac ſimul vt medio viderunt &c.* Excipere pro excepturum eſſe, Aliorum exempla vindicant, quae ad Vechneri hellenolexiam p. 246. attuli. Si tamen hoc minus placet, nihil obſtat, quo minus legatur, *excepturum*, quod breuiatum mutari potuit in *exciperet*.

*Hic auritulus.*] Ita membranae, non, *hic auriculas clamore ſubito totis rollit vivibus.* Nec poëta, nec latini ſermonis peritus fuiſſet Phaedrus, ſi ita ſcripſiſſet.

10. *Adſiguntur.*] Alter codex *adſiciuntur*, minus eleganter.

15. *Fugiſſem metu.*] Et hoc MSS. debetur, Vulgo, *fuiſſem in metu*,

FAB. XII.

CERVVS AD FONTEM.

Laudatis vtiliora, quae contemſeris,  
Saepe inueniri, haec exferit narratio.

Ad fontem cervus, quum bibiſſet, reſtitit,  
Et in liquore vidit effigiem ſuam.

Ibi dum ramoſa, mirans, laudat cornua,

Crurumque nimiam tenuitatem vituperat:

Venantum ſubito vocibus conterritus,

Per campum fugere coepit, et curſu leui

Canes

Canes elusit. Silva tum excepit ferum,  
 10 In qua retentis impeditus, cornibus,  
 Lacerari coepit moribus sauis canum.  
 Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:  
 O me infelicem! qui nunc demum intelligo,  
 Vtilia mihi quam fuerint, quae despexeram;  
 15 Et, quae laudaram, quantum luctus habuerint.

2. *Haec exsevit narratio.*] Alter codex, *testis*  
*haec narratio est.* Sic fab. X. 3.

14. *Vtilia mihi quam fuerint.*] Melior haec,  
 quam altera lectio, *ut illa mihi profuerint.*

## FAB. XIII.

## VULPIS ET CORVVS.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,  
 Sera dant poenas turpes poenitentia.  
 Quum de fenestra coruus raptum caseum  
 Comesse vellet, celsa residens arbore,  
 5 Hunc vidit vulpis, deinde sic coepit loqui:  
 O qui tuarum, corue, pennarum est nitor!  
 Quantum decoris corpore et vultu geris!  
 Si vocem haberes, nulla prior ales foret.  
 At ille stultus, dum vult vocem ostendere,  
 10 Amisit ore caseum: quem celeriter  
 Dolosa vulpis avidis rapuit dentibus.  
 Tum demum ingenuit corui deceptus stupor.  
 [Hac re probatur, ingenium quantum valet:  
 Virtute et semper praeualet sapientia.]

1. *Gaudent.*] Al. *gaudet*, et deinde *dar*.

2. *Sera*

2. *Sera dant poenas turpes poenitentia.*] Cum in omnibus sequi constituissem, quem ducem legeram, magnum Burmannum, impetrare tamen a me non potui, quin hoc in loco ab eo dissentirem. Dedit enim nobis: *Serae dant poenas turpes poenitentiae.* Ita vero Phaëdrum scripsisse, nemo mihi persuadebit. Scio equidem, *poenas dare poenitentiae*, Latine posse dici: aliud vero his verbis, atque poeta voluit, significari, non minus intelligo. Nam, qui *poenas dat poenitentiae*, non errorem suum luit poenitentia, non poenitendo poenas dat, sed poenam potius subit, quam poenitentia meruit: vel, non fit, dum punitur, poenitens, sed, quod fuit poenitens, punitur, ut ille, qui *crudelitatis poenas dat*, non fit crudelis, sed quia crudelis fuit, punitur. Quare non potui non alteram lectionem, quam et ipse Burmannus probavit, recipere, et vel Bentleianam, ac Neueletinam potius, quam ille plane reiicit, potiolem longe putare: *Fere dant poenas turpi poenitentia.*

13. *Hac re probatur.*] Hoc par versuum omnium prope iudicio Phaëdro indignum, et insititium est.

F A B. XIII.

EX SVTORE MEDICVS.

Malus quum sutor, inopia deperditus;  
 Medicinam ignoto facere coepisset loco,  
 Et venditaret falso antidotum nomine;  
 Verbofis adquisiuit sibi famam strophis.  
 Hic quum iaceret, morbo confectus graui, §  
 Rex vrbis, eius experiendi gratiã,  
 Scyphum proposcit: fusiã dein simulans aquã  
 Antidoto miscere illius se toxicum,

Hoc

- Hoc bibere iussit ipsum, posito praemio.  
 10 Timore mortis ille tum confessus est,  
 Non artis vllâ medicae se prudentia,  
 Verum stupore vulgi, factum nobilem.  
 Rex, aduocata concione, haec edidit:  
 Quantae putatis esse vos dementiae.  
 15 Qui capita vestra non dubitatis credere,  
 Cui calceandos nemo commisit pedes?  
 Hoc pertinere ad illos vere dixerim,  
 Quorum stulticia quaestus impudentiae est.

5. *Hic.*] Aduerbum temporis, cuius significatio est *tunc*.

9. *Hoc bibere.*] In MSS. *hoc* desideratur, vnde alii *ebibere, obbibere, combibere*, omisso, *hoc*, maluerunt.

11. *Artis medicae.*] Heinsii et Gronou. emendatio, cum legeretur *medicum*.

13. *Aduocata concione.*] Postquam conualuit, et in concionem populi prodire potuit. Neque enim *amicos* intelligere licet per vocem *concio*.

*Edidit.*] Ita, pro *addidit*, primus Gronouius legi voluit, cui alii obsecuti sunt.

17. *Hoc pertinere ad illos vere.*] Vulg. *Hoc pertinere vere*, quae vocalis repetitio ingrata Burmanno videtur.

18. *Stulticia.*] Primus casus, si Gronou. et Anglum audimus: sextus vero, Burmanni iudicio, quod praefero. Multi *quaestui* coniecerunt.

FAB. XV.

ASINVS AD SENEM PASTOREM.

In principatu commutando ciuium  
 Nil praeter domini nomen mutant pauperes,

Id

Id esse verum, parua haec fabella indicat.

Asellum in prato timidus pascebat senex.

Is, hostium clamore subito territus,

5

Suadebat asino fugere, ne possent capi.

At ille lentus: quaeſo, num binas mihi

Clitellas impositurum victorem putas?

Senex negauit. Ergo quid refert mea,

Cui feruiam clitellas dum portem meas.

10

1. *Ciuum.*] Al. *ſaeptus*, quod ad ſequens *mutant* ſpectat, ferrique poteſt. In Burmanniana lectione intelligitur *principatus ciuium* in libera ciuitate, de quo inter Caefarem et Pompeium contentio quondam fuit. Is ſi quando commutatur, et ad alium transfertur, nihil, niſi *nomen domini*, mutat minuta plebs, dum eadem miſerae vitae conditio manet.

2. *Praeter domini nomen.*] Qui *praeter domini mores*, vel *propter domini mores* legunt, longius aberrant a mente poëtae.

## FAB. XVI.

## CERVVS ET OVIS.

Fraudator nomen cum locat ſponſu improbo,  
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.

Quem rogabat ceruus modium tritici,

Lupo ſponſore: at illa, praemetuens doli,

Rapere atque abire ſemper adſueuit lupo;

5

Tu de conſpectu fugere veloci impetu.

Vbi vos requiram, cum dies aduenerit?

1. *Fraudator.*] Innumerae hic ſunt criticorum coniecturae: proxime vero ad primae ſcripturae veſtigia accedit Burmanniana haec, quam Bentleius adopta-

adoptauit: *Fraudator hominem cum vocat sponsum improbum. Non rem expedire, sed malum dare, expetit. Ipse interpretatur: fraudator, qui petit pecuniam mutuum et allegat sponsorem improbum et malum, sine dubio molitur fraudem, et decepturus est creditorem. Nam sponsum vocare est, iubere aliquem fidem pro se interponere, et caueve.*

4. *Praeueniens doli.*] Ex Heinlii sententia ita scripsit Burmannus, pro vulg. *dolum*.

## FAB. XVII.

## OVIS CANIS ET LVPVS.

Solent mendaces luere poenas malefici.  
 Calumniator ab oue cum peteret canis,  
 Quem commodasse panem se contenderet:  
 Lupus, citatus testis, non vnum modo  
 Deberi, dixit, verum, adfirmavit, decem.  
 Ouis, damnata falso testimonio,  
 Quod non debebat, soluit. Post paucos dies  
 Bidens iacentem in fouea prospexit lupum:  
 Haec, inquit, merces fraudis a superis datur.

1. *Malefici.*] Bentl. *mal'ficos mendaces* intelligere videtur. Sed *malefici* secundus casus est a *maleficium*.

3. *Commodasse.*] Hoc est, mutuum dedisse. Al. *commendasse*, quod de rebus custodiae alicuius creditis dicitur.

8. *Bidens.*] In vet. exemplaris fragmento fuit *videns*, vnde Heinsius *bidens* fecit. Al. *ouis*.

*Prospexit.*] Hoc timidae oui magis conuenire putant, quam vulgatum *conspexit*.



FAB. XVIII.  
MVLIER PARTVRIENS.

Nemo libenter recolit, qui læsit, locum.  
 Instante partu, mulier, actis mensibus,  
 Humi iacebat, flebiles gemitus ciens,  
 Vir est hortatus, corpus lecto reciperet,  
 Onus maturum melius quo deponeret. 5  
 Minime, inquit, illo posse confido loco  
 Malum finiri, quo conceptum est initio.

5. *Maturum.*] Scriptum erat *onus naturae*, quod de foetu dici, nondum obseruatum. At *maturum onus* notum poëtis, idque Heinsius substituit.

6. *Illo.*] Bentl. cum altero codice: *Minime, inquit illa, posse confido hoc loco.*

FAB. XVIII.  
CANIS PARTVRIENS.

Habent insidias hominis blanditiae mali:  
 Quas vt vitemus, versus subiecti monent.  
 Canis parturiens, cum rogasset alteram,  
 Vt foetum in eius tugurio deponeret,  
 Facile impetrauit: dein reposcenti locum 5  
 Preces admouit, tempus exorans breue,  
 Dum firmiores posset catulos ducere.  
 Hoc quoque consumto, flagitare validius  
 Cubile coepit. Si mihi et turbae meae  
 Par, inquit, esse potueris, cedam loco. 10

8. *Flagitare validius.*] Bentleins, vt clarius intelligatur, vtra duarum canum flagitare coeperit, corrigit: *flagitari vt validius cubile coepit: Si.*

FAB. XX.

## CANES FAMELICI.

Stultum consilium non modo effectu caret,  
Sed ad perniciem quoque mortales deuocat.

Corium depressum in fluuio viderant canes:  
Id vt comesse extractum possent facilius,  
5 Aquam coepere ebibere. Sed rupti prius  
Periere, quam, quod petierant, contingerent.

5. *Ebibere.*] Plerique *hibere.* Ita vero codex  
Dan. canum conatum plenius exprimit.

FAB. XXI.

LEO SENEX, APER, TAURVS ET  
ASINVS.

Quicumque amisit dignitatem pristinam,  
Ignauis etiam iocus est in casu grati.

Defectus annis, et desertus viribus  
Leo cum iaceret, spiritum extremum trahens,  
5 Aper fulmineis ad eum venit dentibus,  
Et vindicauit ictu veterem iniuriam.  
Infestis taurus mox confodit cornibus  
Hostile corpus. Asinus, vt vidit, ferum  
Impune laedi, calcibus frontem exterit.  
10 At ille exspirans. Fortes indigne tuli  
Mihi insultare; te, naturae dedecus,  
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

12. *Certe.*] *Saltem* interpretatur Burm. cui ta-  
men nec inepta videtur altera lectio, *Quod ferre*  
*cogor, certe his videor mori.*

FAB.

FAB. XXII.

## MVSTELA ET HOMO.

Mustela, ab homine presa, cum instantem  
necem

Effugere vellet; quaeso, parce, inquit, mihi,  
Quae tibi molestis muribus purgo domum,  
Respondit ille, faceres si causa mea,  
Gratum esset, et dedissem veniam supplici: §  
Nunc quia laboras, vt fruaris reliquis,  
Quas sunt rosuri, simul et ipsos deuores,  
Noli imputare vanum beneficium mihi.  
Atque ita locutus, improbam leto dedit.

Hoc in se dictum debent illi agnoscere, 10  
Quorum priuata seruit utilitas sibi,  
Et meritum inane iactant imprudentibus.

2. *Quaeso parce.*] Ita, pro vulgato, *Quaeso*;  
*inquit, parce mihi*, legendum exigit metri ratio.  
*Bentl. parce, quaeso, inquit mihi.*

12. *lactans.*] *lactat* a *Rittershusio*. *lactans*  
pendet non a *priuata utilitas*, sed ab *illi, qui*.

FAB. XXIII.

## CANIS FIDELIS.

Repente liberalis stultis gratus est;  
Rerum peritis irritos tendit dolos.

Nocturnus cum fur panem misisset cani,  
Obiecto, tentans, an cibo posset capi:  
Heus, si, inquit, linguam vis meam praeccludere, §  
Ne latrem pro re domini, multum falleris.

B 2

Nam.

Namque ista subita mea iubet benignitas  
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

2. *Revum peritis.*] Ita Phaedrum scripsisse, opinatur Bentl. et Burm. non *verum peritis*.

5. *Hus si.*] *Si*, quod sententia postulare videtur, adiectum ab Heinsio. Benthelius id respuit, et interrogationis notam ponit post vocem *domini*. Placet.

## FAB. XXIII.

## RANA RVPTA ET BOS.

Inops, potentem dum vult imitari, perit.

In prato quondam rana conspexit bouem,

Et, tacta invidiâ tantae magnitudinis,

Rugosam inflavit pellem: tum natos suos

Interrogavit, an boue esset latior.

Illi negarunt. Rursus intendit cutem

Maiore nisu, et simili quaesivit modo,

Quis maior esset. Illi dixerunt, bouem.

Nouissime indignata, dum vult validius

Inflare sese, rupto iacuit corpore.

2. *Quondam.*] Hoc pro *quodam* reposuit Heinsius.

5. *Lator.*] Anon. Nilantii: *si esset altior boue* idque Schefferus coniecerat, pro *lator*.

8. *Quis maior esset.*] Hunc versum, tanquam spurium, tolli iubet Bentl. quod non recte *quis maior* dicatur, pro *uter maior*, et sententia ipsa sit sine nervis, sine venere. Sed et alibi Phaedrus *quis* pro *uter* dixit lib. III. fab. XIII. 14. et lib. III. fab. XXIII. 2. quae loca, cum aliis, Anglus anonymus adnotavit.

FAB. XXV.

## CANIS ET CORCODILVS.

Consilia qui dant prava cautis hominibus,  
Et perdunt operam, et deridentur turpiter.

Canes currentes bibere in Nilo flumine,

A corcodilis ne rapiantur, traditum est.

Igitur cum currens bibere coepisset canis, 5

Sic corcodilus: quamlibet lambe otio,

Accede, pota leniter, et noli dolos,

Inquit, vereri. At ille: facerem mehercule,

Nisi esse scirem carnis te cupidum meae.

3. *In Nilo.*] Benti. et Anon. Anglus e *Nilo*, quod nullus codex agnoscit, praeferunt: vulgata defendit Burm.

4. *A corcodilis.*] Sic Pithoei codex, non *crocodilis*, cuius prima brevis est.

7. *Accede.*] Totum hunc versum Rigaltius omisit, quod in veteri codice parum erat expressus: ex eius tamen vestigiis utcumque restitutum retinere, satius est.

FAB. XXVI.

## VVLPIVS ET CICONIA.

Nulli nocendum; si quis vero laeserit,  
Multandum simili iure, fabella admonet.

Vulpes ad coenam dicitur ciconiam

Prior inuitasse, et illi in patena liquidam

Posuisse sorbitionem, quam nullo modo 5

Gustare esuriens potuerit ciconia.

Quae vulpem cum reuocasset, intrito cibo

B 3

Ple-

Plenam lagenam posuit: huic rostrum inferens  
Satiatur ipsa, torquet conuiuam fame.

IO Quae quam lagenae frustra collum lamberet,  
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus:  
Sua quisque exempla debet aequo animo pati.

4. *In patena.*] Antiquè, pro *parina*. Vid. Scheffer.  
*Liquidam.*] Benteio prior huius vocis syllaba  
non rectè produci videtur, etsi Lucretius eam pro-  
duxerit. Sed et Virgilium aliosque in *liquens* id  
fecisse, ostendit Burmannus.

## FAB. XXVII.

CANIS, THESAURVS ET VVLTV-  
RIVS.

Haec res auaris esse conueniens potest,  
Et qui humiles nati dici locupletes student.

Humana effodiens ossa, thesaurum canis  
Inuenit: et, violarat quia Manes deos,  
Iniecta est illi diuitiarum cupiditas,  
Poenas ut sanctae religioni penderet.  
Itaque aurum dum custodit, oblitus cibi,  
Fame est consumptus. Quem stans vulturius super  
Fertur locutus: O canis, merito iaces,  
IO Qui concupisti subito regales opes,  
Triuio conceptus, et educatus stercore.

1. *Haec res.*] Duos hos priores versus ineptos  
et spurios iudicat Benteius.

4. *Violarat.*] E cod. Remensi: vulgo, *violauit*.

FAB. XXVIII.

## VVLPIVS ET AQVILA.

Quamuis sublimes debent humiles metuere,  
Vindicta docili quia patet solertiae.

Vulpinos catulos aquila quondam fustulit,  
Nidoque posuit pullis, escam vt carperent.

Hanc persecuta mater, orare incipit, 5

Ne tantum miserae luctum importaret sibi.

Contempsit illa, tuta quippe ipso loco.

Vulpes ab ara rapuit ardentem facem,

Totamque flammis arborem circumdedit, 10

Hosti dolorem damno miscens sanguinis.

Aquila, vt periculo mortis eriperet suos,

Incolumes natos supplex vulpi tradidit.

10. *Hosti dolorem damno miscens sanguinis.*] Haec corrupta esse, vident omnes. Bentl. legit. *Proprii dolorem damno vlciscens sanguinis*: Heinsius, *hosti dolorem damno vlciscens sanguinis*: Burmannus. *Dolorem damno vlciscens, sanguinis hostili vel Hostis dolorem damno miscens sanguinis* malo legere, *Hostis dolore damnum vlciscens sanguinis. Vlciscens, pro vltura.*

FAB. XXVIII.

## ASINVS IRRIDENS APRVM.

Plerumque stulti, risum dum captant leuem,

Graui destringunt alios contumelia,

Et sibi nociuum concitant periculum.

Asellus, apro cum fuisset obuius,

Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat

Officium, et quaerit, cur sic mentiri velit.

B 4

Asinus,

Asinus, demisso pene, si similem negas  
 Tibi me esse, certe simile est hoc rostro tuo.  
 Aper cum vellet facere generosum imperum,  
 10 Repressit iram; et, facilis vindicta est mihi,  
 Sed inquinari nolo ignauo sanguine.

1. *Lenem.*] Burm. interpretatur *non satis decentem*. Nos diceremus *leichtfertiges gelächter*.

3. *Nocium.*] Bentleius de Latinitate vocis dubitat, et *vicissim* substituit. Sed Anon. Anglus, praeter Plinium, Ouidium quoque ea usum esse docet lib. I. trist. el. V. v. 10. et remed. v. 45. Burmannus *nociturum* conicit.

10. *Et, facilis.*] Ad et subaudi dixit.

## FAB. XXX.

RANAE METVENTES TAVRORVM  
PROELIA.

Humiles laborant, vbi potentes dissident.  
 Rana, in palude pugnans taurorum intuens,  
 Heu, quanta nobis instat pernicies! ait,  
 Interrogata ab alia, cur hoc diceret,  
 5 De principatu cum decertarent gregis,  
 Longeque ab illis degerent vitam boues:  
 Est statio separata, ac diuersum genus;  
 Sed pulsus regno nemoris qui profugerit,  
 Paludis in secreta veniet latibula,  
 10 Et proculcatas obteret duro pede.  
 Caput ita ad nostrum furor illorum pertinet.

5. *Decertarent.*] Scripti, *cum illi certarent*, quo conuenientius hoc visum est Heinsio.



7. *Est statio separata.*] MS. Remenf. *est ratio separata*, quod Gronovius tuetur. Scheffer, *natio*. Longius abit Bentl. Haec lectio significat, *raui loco a nobis diuerso ac secreto viuunt.*

FAB. XXXI.

MILVVS ET COLUMBAE.

Qui se committit homini tutandum improbo,  
Auxilia dum requirit, exitium inuenit.

Columbae, saepe cum fugissent milium,  
Et celeritate pennae vitassent necem,  
Consilium raptor vertit ad fallaciam, 5  
Et genus inerme tali decepit dolo.  
Quare sollicitum potius aequum ducitis,  
Quam me creatis isto regem foedere,  
Qui vos ab omni tutas praestem iniuria?  
Illae credentes, tradunt sese milio:  
Qui, regnum adeptus, coepit vesci singulas,  
Et exercere imperium saeuus vnguibus.  
De reliquis tunc vna: merito plectimur.

3. *Milium.*] Trisyllabon. Ita in MSS. vocem scriptam, non *milium*, testantur, qui ea inspexerunt.

8. *Isto regem foedere.*] Vulgo: *Quam regem me creatis, isto foedere.* Sed ne littera m concurrat, transpositione opus esse visum Burmanno.

13. *De reliquis tunc vna.*] Legebatur antea, *tunc de reliquis vna*, quod mutarunt, qui non viderunt, *reliquis* esse quatuor syllabarum; quod adeo obseruatum veteribus poetis, vt aurea aetate nemo trisyllabo eo vsus fuerit, docuit Bentleius.